



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Vndecimum. De electione Henrici de Molenarck Archiepiscopi & de zelo eius vindicandi parricidium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

A **S.** Sacerdos quidam.

Quamuis ultra fluuium Rhenum complures pagi nomine Rode, id est Nouale appellantur, quin & castrum aliquod in itinere Schvvelmensi ita ab incolis indigitetur; ab eo tamen Ludouicus Sacerdos nomen Rodense non est mutuatus, cum nulla detur in terra Montensi Ecclesia Canonorum Regularium aut S. Gabrieli dedicata. Videtur verò ab Abbatia Regularium Canonorum, secundo ab Aquisgrano lapide, vulgo Closterrode nuncupata, proxime moenia oppidi Rode Ducis Hertzogenrode, fluxisse.

Caput Vndecimum.

De electione Henrici de Molenarck Archiepiscopi & de zala eius vindicandi parricidium.

SEQVENTI die, id est, sabbato, castro Valantiæ destructo; turris à Clero Coloniae erecta est contra faciem Damasci. Cum autem status regionis ex morte pontificis valde turbatus esset, timerentque primores & Clerus, ne forte ciues cum Walramo propter priuilegia, quæ Dominus ENGELBERTVS communis vtilitatis causa confecerat, aliquid Henricus contra Ecclesiæ libertatem molirentur, sicut eis postea dure satis impositum est, diem, qui est decimus septimus Kalendas Decembris, qui nonus erat à cæde pontificis, electioni præfixerunt. Quo die, mediante & cooperante Domino Theoderico Treuirensi Archiepiscopo, Henricus Bonnensis Præpositus in pastorem & Archiprætulem consensu vnanimi electus est. Quo iuxta morem in Episcopi sede residente, clamores ministrorum, id est, eorum, qui ministerijs fungebantur, de nece Domini sui conuolentium, renouati sunt, & ab eis interula martyris in sinum eius deposita est. Ille vero, vt aiunt, mox iurauit se sanguinem eius quoad viueret, vindicaturum. Quam studiosus autem & feruens hæctenus & fuerit & sit in ea vindicta persequenda, ita vt neque corpori, neque pecunijs parcat, sequentia declarabunt. Eo quidem die, quo sacerdotio initiatus est, ad gloriam martyris dilatandam, coram altari

altari beati Petri exiguitati meæ humiliter satis iniungere dignatus est, ut quæ ab eo insigniter gesta sunt, & miracula quæ per eum Dominus A operatur, ad posterorum notitiam scripto transmitterem. Cumque me excusarem, & dicerem, mihi id non licere, Priori meo, qui præsens erat, præcepit, ut me cogeret obedire: quod & fecit. Itaque cum multos in sua diœcesi habeat viros sapientes & eloquentes, utpote Theologos, Rhetores & Philosophos, qui beati antecessoris eius vitam, martyrium & miracula eleganti stylo scribere, & floribus Rhetoricis ornare possent, si materia laude digna, sermone inculto à me tractata fuerit & explicata, non mihi, quem cogit obedientia, sed illi potius, qui iniunxit, imputandum est. B

Notatio ad Caput Vndecimum.

§. Destructa inquit msc. turri Valentia turris contra faciem Damasci erecta est Colonia à Prioribus;

PER electionem scilicet noui Præsulis, quam Priores maturarunt, ut sua à ciuibus & Walramo defenderent priuilegia, quæ D. ENGELBERTVS in commune consulturus dederat; vel uti msc. *abeis extorserat*, quo verbo cum insinuentur Walramo & ciuibus inuitis priuilegia concessa, fuit quod ipsis timerent. Sed & verbo eodem exprimitur S AN C T I N O S T R I seuerior zelus in acquirenda promouendaque Clerilibertate; designationem igitur noui Principis successoris accelerarunt. D

Henricus à
Molen-
arck Ar-
chiepisco-
pus Colo-
niensis.

Electus autem est Henricus Præpositus Bonnenfis & secundus Archidiaconus Coloniensis de Thombergi & Molenarckæ Dynastarum seu Comitum prosapia; Comitem enim appellat Hermannum de Molenarck: *Reinaldus electus Coloniensis Imperatoris Maiestatis Legatus* in instrumento emptionis *quorundam bonorum in VVestphalia sitorum anno 1161.* & diploma in tabulario S. Vrfulæ asseruatum, quo Archiepi-